

Quas quidem leges cum in jure dicendo plerique judices presse sequantur, saepissime optimis agricolarum studiis ipsisque pullulantibus adhuc agriculturae profectibus impedimento esse apparet.

In hac tanta paucitate legum et ambiguitate litigiosis hominibus litigandi ansa saepissime praebetur. Hinc de dividendis bonis communibus de constituendis agrorum terminis, de jure agros aut prata depascendi, de angaria, de decuma toties diutissime et tam dubio plerumque eventu certatum est.

Denique ultimum, quo nil potest esse fundis perniciosius, impedimentum inde oritur, quod, qui sequestres fundis praeficiunt, plerumque ejusmodi sunt homines, qui nec quaestum rusticum universe, nec fundi cujusque rationes cognoverunt, sed harum rerum prorsus ignari, judices forenses scilicet. Qui cum ipsi in hac tanta ignoratione versentur, vulgo desides ineptosque homines fundorum sequestres collocant. Quorum quidem administratione efficitur, ut fundi rapidam ruinam trahant, et brevi ne sumtibus quidem pares fructus proferant.

Quod genus administrationis etsi, quam damnosum pestiferumque sit, vel ex solo proverbio, quo sequestres evacuare nidos dicuntur, satis potest intelligi, eo magis mirabile est, tot in omnibus pene civitatibus fundos nunc cum maxime tali modo administrari, quo certius est, hos reipublicae nullam utilitatem afferre, neque igitur ullum in censum referri posse. Denique etiam monendum est, hoc genus desidia, fraudibus furtisque committendis et in universum corrumpendis moribus inservire.

Venio nunc ad alterius generis impedimenta, quae, quominus rerum rusticarum scientia latius propagetur amplificeturque, prohibent, eaque et permulta et haud sane levi pondere. Quae cum enumerare omnia longum sit, eorum nonnulla duntaxat exempla commemorasse satis habebo.

Iterum illud, quod jam supra inter impedimenta recensui, et primo loco commune omnium fere doctorum rudiumque hominum, ex temeraria profectum opinione, malevolum de agricultura judicium